



V 00th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

te



CHRISTI JUVANTE GRATIA,
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est
DE SACRAMENTO

COENAE,
 DECADIS SECUNDE:
 Problemata. V. VI. VII.
In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,

AUTORE AC PRÆSIDE
JOHANNES FÖRSTERO
 SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
 RESPONDENTE
PAULO WEISS
 Regiomon. Borusso.

Ad diem 28. Decemb. horis locog. consuetis

VVITTEBERGÆ,
 Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.





TOTI MAGNIFICO
& Amplissimo Senatui incli-
tæ ac celeberrimæ Urbis
Veteris Regiom. Bo-
rufs.

*Dominis Patribus ac Patronis meis reveren-
tèr & submissè colendis.*

Υμῖν ἤδη ἐγὼ λιγέων μιλύγματα μυσῶν
Τόια φέρω, ἑαυτὸς ἐπεὶ νέθ' οἶμον ἐπέιγξ
Δέχθε δόσιν ΠΑΤΕΡΕΣ σμικρὴν περ' ἰδ' ἴλατε ἀσθῆ.
Δώτην καὶ σῶτηρα διδασκαλίας ἱκετεεύω
Ζωὴν ὄφρα καὶ ὄλβον ὅππ' σιήπτροις βάληται
Πᾶσι δ' ὁμῶς ὑμῖν συμφερίδμοσιν ὄλβια δόση

M. M. V. V.


Reverentiß.

PAULUS VVEISS.
Reg. Borufs.

PROBLEMA V.

*An forma Sacramenti Eucharistici consistat
in analogia & $\chi\epsilon\acute{o}\varsigma$ inter signum &
signatum.*

Propositio I.



Adtenus ea proposita & explicata sunt Proble-
mata, quæ causam sacratissimæ DOMINI Cœnæ *usq; Cœnæ.*
materiam attingunt: sequuntur ea, quæ ad Cau-
sam, ejusdem formalem referri possunt ac debent.

II.

Horum familiam ducit istud de analogia *Opinio Sacra-*
Sacramentali, quam Sacramentarij, pro ipsissi-
ma Sacramenti Eucharistici anima, gloriosè venditare, quamque *mentorum.*
nunquam & nusquam non pomposè admodum crepare assolent.

Crellius in Categ. Rel. p. 46. edit. 7.

*Sicut totum esse signi à signato pendet: ita totum esse Sacramenti à Sa-
cramentato: Sacramentumq; esse, aliud nihil est, quam ad
Sacramentatum referri.*

Beza. Vol. III. fol. 360.

*Maximè ac imprimis quidem illud quod ducitur ab essentiali & $\sigma\upsilon\varsigma\alpha\tau\iota\chi\eta$
omnium Sacramentorum forma, quæ est in summa, ut
ex signo & re significata, sive (ut loquitur Irenæus) ex re terre-
na & cœlesti consistit.*

Keckerm. lib. 3. Syst. Theol. c. 8.

*Sacramentum est ordo sanctus, inter rem externam in sensus incur-
rentem & rem spiritualem.*

III.

Quid verò Sacramentarijs propriè sit illa Sacramentalis a-
nalogia & $\chi\epsilon\acute{o}\varsigma$, id Antistes eorum non postremus Beza jamdu-
dum dedit explicatum:

III. Volum. oper. f. 557.

A 2

Metony-

Metonymiam igitur Sacramentalem intellige, qua fit ut signum dicatur, id esse, cui externis sensibus congruente analogia, & ex DE I voluntate significando sic adhibetur, ut simul intellectui & fidei praebeatur res illa significata, verè ac re ipsa spiritaliter recipienda & ob signanda.

In Act. Colloq. Mompel. f. 163.

Non queritur, quomodo in hoc Sacramento signa & res signata conjungantur? An ita, ut ubi est essentia signorum, ibi quoque sit praesens essentia rerum signatarum corporis & sanguinis Christi? Hic respondemus, illam conjunctionem sacramentalem non requirere, ut eodem loco, ubi sunt signa, ibi etiam res signatae sint, sed sufficit, ut signa quandam *χέσιν*, id est, Relationem & habitudinem habeant ad illas res quas significant, representant, & menti offerunt ac praebent. Hanc conjunctionem seu unionem nos *χέσιν* appellamus, seu relationem & habitudinem signorum ad res signatas.

I V.

Τρία περί-
σμάτα.

Tria hinc colligimus doctrinae Dipnosophisticae *ᾠδοξότατα*.

V.

1. Sacramenta, & sic etiam Cœnam DOMINI pertinere ad Prædicamentum Relationis nihilque aliud esse quàm relationem secundum esse.

V I.

2. Relationem sive *χέσιν* istam aut *ἀναλογία*ν versari inter panem & vinum saltem, ut signa significantia ex una: & inter Corpus & sanguinem CHRISTI, tanquam res significatas, ex altera parte.

V II.

3. Hanc relationem sive *χέσιν* aut *ἀναλογία*ν, inter signa significantia & res significatas, esse formam Cœnae essentialem.

I I X.

σινγυλων
ἑρισμά-
των
Consuta-
των
τιο.

Sed non sufficit hæc *ὑποφαντικῶς* allegare: sed oportet etiam nose ea *ἀνασκευαστικῶς* è Sacratio Veritatis ablegare; & quidem ordine singula.

9. Falsum



IX.

I. Falsum est, quòd Sacramenta nihil aliud sint, quàm relationes, & proinde ad Relationis Categoriã pertineant.

X.

Constat enim quòd sint sacræ actiones, ideoque non ad Relationis, sed *Actionis* Categoriã referendæ.

XI.

In cuius rei testimonium non relationes: sed actiones definiuntur, eorumque usus, extra quem non sunt Sacramenta, Verbis non *relationem*: sed actionem notantibus, in ipsa institutione, designatur, v. g. in Cœna: Verbis *accipiendi, edendi, & bibendi*.

XII.

II. Falsum est quod relatio sive *ἁέσις* aut *ἀναλογία* versetur inter panem & vinum, saltem *ut signa significantia*: & inter Corpus ac Sanguinem CHRISTI tanquam *res significatas*.

XIII.

Distinguendum enim est inter signa *σημαντικά* & *μεταδοτικά*, sive *Significantia* & *Exhibentia*.

XIV.

Et si enim Patres Panem & Vinum Signa & Symbola corporis ac Sanguinis CHRISTI appellant: non intelligunt tamen nuda & pura tantùm Signa *Significantia*: sed *Exhibentia*; sicut testantur ipsorum sententiæ, quæ numero benè magno collectæ à Philippo Melancthone, peculiari libello, *ἐλεγκτικῶς* obvertendæ ijs, quibus Philippi autoritas sacrosancta.

XV.

Et quid moramur Patres hujus mortalitatis? (a) *Pater æternitatis* CHRISTUS cum tabulis Testamenti sui præsto est, suamq; circa institutionem Cœnæ, intentionem inde nobis proponens asserit, non propter *τὸ σημαίνειν*: sed propter *τὸ παραφέρειν*, Sacramentum Cœnæ à se institutum esse.

(a) Ies. c. 9, 6.

XVI.

Panis enim & Vinum non ideo ordinata sunt, sicut Caro Agni paschalis in Vet. Testam. ut saltem significant & repræsentent

A 3

sentent

sentent, corpus & sanguinem CHRISTI: sed ut hos (b) thesau-
ros substantiales & proprios Novi Testamenti exhibeant conferantq;
ad mensam DOMINI accedentibus.

(b) Col. 2, 17. Heb. 1, 10.

XVII.

Hæc enim tendunt enunciationes Cælestis hujus Hospitis
τῶν σῶν τοῦ Χριστοῦ ἁγίου: Edite: Hoc est Corpus meum: Bibite; Hic est san-
guis novi Testamenti. &c.

XVIII.

Quæ certè non sunt nudè *ὑποκειμένη* vel, *relativa signorum panis & vini in*
terris, ad corpus & sanguinem CHRISTI in Cælis, quæ Beza insania est &
offensiva: sed exhibitiva mediorum panis & vini in terris, cum corpo-
re & sanguine CHRISTI illis Sacramentaliter unitis, itidem in ter-
ris; id quod pluribus demonstratum in ἐξηγήσει Probl. IV. Dec. II.

XIX.

Jam, *ἐπισηματικῶς* quasi, hoc saltem Logicis Sacramen-
tarijs expendendum proponimus, qua lege inter panem & corpus
CHRISTI *ἑστὶς* signi ad signatum concedi possit, cum hoc de il-
lo prædicetur in *casu recto*: non autem in *casu obliquo*, quo solo signa-
tum de signo, & correlatum de relato prædicari possunt; siquidem
relata ad unum omnia non *ἐτεροῦ*, sed *ἐτέρων*; sicut è vulgatissima
Philosophi regula notissimum in *cap. de Rel.*

XX.

Concludimus proinde panem & Vinum in sacratissima Eu-
charistia, non esse Signa propriè significantia: sed Media exhiben-
tia & conferentia corpus & sanguinem CHRISTI.

XXI.

Interim non negamus posse & solere illa etiam appellari si-
gnificantia, eo quòd corpus & sanguis CHRISTI non immediatè
exhibeantur: sed mediatè & *figurè* quasi panis & vini vestita ac ve-
lata.

XXII.

Vide de hoc negotio plura, in Disp. de Baptismo Decad. I.
Probl. IV. ubi *ὁμωνυμία* vocis signi & signati accuratè explicata.

XXV.

III. Falsum denique est, quòd Relatio sive *ἑστὶς* aut *ἀναλο-*
γία

quia inter signa significantia & res significatas ^{in institutione} ~~in institutione~~ Cœnæ IV. Argumen-
DOMINI forma essentialis, id quod quatuor potissimum argu- ^{ta contra for-}
mentis ostendimus. ^{mam Cœnæ}

Primum ex verbis institutionis tale esto: ^{Sacramenta-}

Quicquid non est fundatum in Verbis institutionis: id pro forma riam.

Eucharistia haberi nec potest nec debet. ^{I.}

Atqui analogia Sacramentorum vel ἁέσις illa significativa, non
est fundata in verbis institutionis.

Ergo. XXVI.

Ratio nexûs in Propositione est; quòd omnia ^{οὐκ ἐστὶν} & es-
sentialia Eucharistiæ in Verbis institutionis comprehensa.

XXVII.

Veritas Assumptionis eluxit ex discussione Problematis III.
IV. VI. ^{prime Decadis.}

XXIX.

Secundum hoc stylo filoque teximus:

Omnis forma largitur rei essentiam.

Atqui analogia ἁέσις illa non largitur essentiam Cœnæ DOMINI.

Ergo. ^{II.}

XXIX.

Major ἁέσις est ἀντίπρῆσις. Minor indè manifesta est, quòd si-
gnificatio illa, in qua analogia & ἁέσις Sacramentaria consistit;
non est principium Sacramentum Cœnæ constituens: sed illius ex prin-
cipijs suis essentialibus jam constituti adjunctum consequens.

XXX.

Panis enim & Vinum sunt signa corporis & sanguinis CHRI-
STI non absentis à Cœnæ actione in caelis: sed presentis & in actione Sacra-
eum Pane & Vino Sacramentaliter jam uniti in terris; aliàs expirat
atio inter signum & signatum, remoto è Cœna signato, & relicto
ibi Signo non-Signo.

XXXI.

Id verò intentioni & institutioni CHRISTI repugnat, qua
quippe arctissimam signi cum signato sancijr unionem, e qua rea-
lis resultat κοινωνία I. Cor. 10.

XXXII.

Addè, quòd Symbola Eucharistica non nisi mediante actio-
ne, si-

ne, signant. Præsupponit igitur signatio actionem. Hæc verò
forma est Cœnæ, quam quia signatio præsupponit & sic formam
Cœnæ: quo jure ergo illa pro illa forma vendicare poterit?

XXXIII.

3. Tertium hujus Syllogismi peplo involvimus:

*Si analogia & ἁέσις illa Sacramentorum significativa pro forma sa-
cræ cœnæ recipienda: differentia inter Vetus & Novum Testamen-
tum in Scriptura nobis summopere commendata erit rejicienda.*

Atqui hoc est absurdum.

Ergo & illud.

XXXIV.

Rationis consequentiæ in copulato veritas inde patet, quòd
ἀντιδιαίρεσις inter Vetus & Novum Testamentum, in eo maxime
consistit, quòd in Sacramentis Veteris Testamenti Symbola ex-
terna tantum fuerunt σημαντικά: In Sacramentis autem Novi Te-
stamenti ea sunt ὡροφεγεμένα.

Col. 2. V. 17. Heb. 10. 1.

XXXV.

Videatur de hoc argumento Problema II. Disputationum, de
Baptismo.

XXXVI.

Et quid multis opus? Beza ipsi Argumenti hujus nervus hæc
elisit verba:

*Sacramenta Veteris Testamenti, & novi non differunt re: sed dispen-
satione.*

In Coll: Mompelg. f. 106.

XXXVII.

Sic concedit Beza nexum copulati: Absurditas verò as-
sumpti ipsi planè nulla est.

XXXVIII.

Sed heus tu, dic obsecro, si non penitus es τὸν ὄν κατεφθα-
μένον: qui potuit esse eadem res in Sacramentis Veteris Testamen-
ti, quæ est in Novo, cum Corpus & sanguis CHRISTI, quæ sunt
Res Novi Testamenti, quibus hoc Veteri ἀντιδιαίρεται, tum non-
dum extiterint in rerum natura.

§9. Sacra-

Sacramenti quidem integri analogia ad usum Spiritualem eadem est Vet. & N. Testamenti: analogia autem partium Sacramenti ad se invicem ita differt, sicut umbra & corpus, rei figura & substantia.

XL.

Quantum ad hanc formam normamque Syllogisticam redigimus:

Quicquid largitur τὸ εἶναι rei, illud est ejus forma.

Atqui talis est Unio Sacramentalis, in actione Eucharistica.

Ergo.

Et per consequens non analogia Sacramentaria.

XLI.

Major est σοιχείων ἀναμύδοξον. Minor declaratione indiget & probatione.

XLII.

Declaratio consistit in duobus Cœnæ Dominicæ respectibus, quorum uno illa consideratur, ut totum Sacramentale ex rebus terrestribus & cœlestibus constans: altero ut ritus externus à CHRISTO institutus.

XLIII.

Illo respectu Cœnæ Dominicæ formam nonnulli constituent Unionem Sacramentalem: hoc actionem Eucharisticam.

XLIV.

Verùm hæc non disjunctè, sed conjunctè intelligenda sunt, de Unionem rerum terrestrium & cœlestium in actione Eucharistica: & de actione Eucharistica cum unionem rerum terrestrium & cœlestium mystica.

XLV.

Probatione subservit, quòd Verbis Activæ significationis Cœnam instituit CHRISTUS, cumq; his indivulso nexu conjunxit Enunciationem ὀρισμὸν: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis Novi Testamenti, quibus unionem Sacramentalem, in usu Cœnæ verè sancijr.

XLVI.

Et huc tendit Lutheri definitio, quâ & ipsâ utrumque complexus est, videlicet, tum unionem Sacramentalem panis cum corpore, & Vini cum Sanguine CHRISTI: tum actionem ipsam, in manducatione & bibitione, versantem.

B

47. Defini-

XLVII.

Definitio autem est λόγος δηλωτικός τῆς οὐσίας. Hæc verò nihil aliud quàm ipsa essentialis rei forma,

XLVIII.

Quid? Petrus Martyr etiam & ipse Sacramentarius vi veritatis adactus & adductus expressè scribit:

Class. IV. L. C. c. 10. §. 36.

Sacramenta tota in actione consistunt, quâ sublatâ non amplius sunt Sacramenta.

XLIX.

Eòdem collimat ἀξίωμα Lutheri in Scholis Theologorum usu maximè tritum scitumq;

Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum divinitus institutum.

L.

Ubi termino usus non intelligenda fides, quæ est Sacramentari-
orum ἐρεβλότης: Fides enim non est principium constituens Cœnæ sub-
stantiam: sed organon fructum Cœnæ, extra substantiam ejus posi-
tum, apprehendens.

LI.

Verùm, quæ est Lutheri & Discipulorum ejus γνώσιων ὁρθότης
sota actio Cœnæ visibilis, quæ consistit, docente CHRISTO Sa-
cramenti Eucharistiæ ἐξάρχῳ. 1. in δόσει, ex parte Dispensantium:
2. in Λήψει, ex parte Communicantium. Sunt enim actiones ἀντι-
στοχοί.

LII.

Δόσις, generatim accepta voce, iterum occupatur: 1. in bene-
dictione, 2. in prabitione.

LIII.

Λήψις verò 1. in acceptione panis & vini benedicti, 2. Panis man-
dicatione, & vini bibitione.

PROBLEMA VI.

*Qualis sit modus presentie, Corporis ac
Sanguinis CHRISTI in Cœna.*

LIV.

Ad

Ad formam rei *modus* etiam referri potest ac solet.

L V.

Cum itaque in proximè præcedenti Problemate de forma *Ratio ordinis*
Cœnæ Dominicæ dictum, à qua vera & realis præsentia corporis & causa *causa*
& sanguinis CHRISTI in sacra Eucharistia: consequens est, *καταρχική*
ut de modo hujus præsentia paucis differatur.

L V I.

Præsertim cum audacia Dipnosophistarum hodiè eo usque
processerit, ut apertè & exertè dictitent scripserintq;:

Beza in Colloq. Mompelg. f. 78.

Ex quibus omnibus constat, nos minimè negare veram præsen-
tiam Corporis & Sanguinis Christi in Cœna Domini: sed eam
tantùm præsentiam oppugnare, quâ corporibus nostris, & non
mentibus, præbeatur

Ibidem fol: 104.

Potes, nos convenire de præsentia Corporis Christi? Et verum
sanè est, utrinque hoc constitutum est in sacra Cœna adesse ve-
rum illud corpus Christi, & sanguinem ejus.

Iterum fol. 172.

In summa convenit inter nos Corpus Christi in Cœna Dominica esse
præsen s: sed de modo præsentia non conveni.

Item fol. 179.

Dissensio autem non est de præsentia, sed modo præsentia.

L V I I.

Respondet ad hanc præsentem quæstionem piè admodùm *Responsio*,
& scitè Damascenus lib. 4. *ὀρθ. πίς: cap. 14.*

Καὶ πλέον ἔδεν γνώσκουμι ἀλλ' ὅτι ὁ Λόγος τῆς Θεῆς ἀλη-
θῆς ἵστι καὶ ἐνεργῆς καὶ παντοδυναμῆς, ὁ ᾧ (NB.) τρέ-
πῳ ἀνεξέρευνητος.

L V I I I.

Cui σύμφωνον καὶ συνωδόν istud πολυθρύλλητον Durandi.

Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam cre-
dimus.

Itemq; hoc Ecclesiæ:

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum
ordinem.

L I X.

Quò referendum & istud gravissimum Bernardi *Ἐπιτίμημα*.

B 2

Epist.

Epist. 77.

*Sacramentum DEI altissimi suscipiendum est non ratione discutien-
dum: venerandum, ratione, in obsequium CHRISTI, captivâ du-
cta, & malè valere jussis speculationibus extra verbum, absurdi-
tatibus & contradictionibus rationis humane.*

LX.

Atque hæc etiam fuit Reverendi Patris Lutheri de præsentii
hoc quæsito sententia; quòd nimirum modus præsentia corporis
& sanguinis CHRISTI in Cœna planè sit ἀνεξαρτένη & ὑπερ-
φυσικός & ἀκατάληπτος; quemadmodum videre licet in *Confes-
sione Majore. Tom. I I. I. Ien. 457, 458.*

LXI.

Tam frivolum scilicet & frigidum est Hospiniani & aliorum
Senatûs Sacramentarij procerum mendacium impudentissimè ca-
lumniantium: Lutherum *Localem* corporis CHRISTI in pane *inclusio-
nem* statuisse.

LXII.

Negativam, Negativam dico statuit & professus est publicè
Lutherus in *Confessione Wittebergensi A.C. 1536.*, primo mox articulo:

Vnd wiewol sie keine Transsubstantiation halten /
auch nicht halten / das der Leib Christi Localiter, das
ist reumblich ins Brot eingeschlossen / oder sonst be-
harlich / aufferhalb der messung des heiligen Sacra-
ments / damit vereiniget werde / so bekennen sie doch
vnd halten / das vmb Sacramentalicher einigkeit wil-
len das Brot sey der Leib Christi: Das ist / sie halten
vnd glauben / das mit sampe dem Brodt warhafftig
zugegen sey / vnd warhafftig dargereicht werde der
Leib Christi / etc.

Tom. II, Isleb. f. 366.

LXIII.

*Solutio Obje-
ctionis per ex-
plicationem
VI. termino-
rum.* Sed obijciunt & arguantur Adversarij: Si modus præsentia
corporis ac sanguinis CHRISTI in Cœna ἀνεξαρτένη & ἀκα-
τάληπτος: cur ergo utimini adverbis *corporaliter, essentialiter, na-
turaliter, oraliter?* cur terminis *sacramentaliter, spiritualiter?*

LXIV.

Respon-

Respondemus verbis Augustini: *In Verbis non verba: sed vera
spectanda sunt.*

LXV.

Videndum igitur quo sensu adverbia hæc à Luthero alijsq;
ὀρθοδοξίας δειπνικῆς Assertoribus usurpare solita.

LXVI.

Quod ut distinctiùs intelligatur: de usu istarum vocum tum
omnium *in genere* ἁποφατικῶς καὶ ἄρσιν: tum singularum *in specie*
κατὰ φατικῶς κατὰ ἴεσιν, pauca quædam monenda sunt.

LXVII.

In genere igitur tenendum, quòd istis Adverbijs in univer-
sum omnibus non notetur *Modus presentie* Corporis & Sanguinis
CHRISTI in Sacramento Cœnæ.

LXVIII.

Hic enim, uti dictum, planè est ἀνεξέρε ὕνη & proin et-
iam ἀνεκδιήγητ, quem fidei lumine mirari decet: rationis a-
cumine rimari non decet.

LXIX.

In specie autem sciendum de singulis, ac primo quidem de
termino *Corporaliter*, quod is respiciat non ad modum: sed ad *sub-*
jectum presentie in Cœna DOMINI, quod non nudum Corporis
CHRISTI *absentis Symbolon*, vel *virtus*, quæ est Sacramentarium
ἀθεολογία: sed ipsum ipsius CHRISTI *Corpus presentissimum*.

LXX.

2. Eòdem respectu usurpatut vox *Essentialiter*, ut indicetur ni-
mirum, contra Sacramentarios, Corpus & Sanguinem CHRISTI:
non ἐνεργεία solùm adesse in sacra Eucharistia: Sicut Sol in terris
(Hoc enim simili veritati absimili consueverunt) sed αὐτοτά-
τη ἰσία.

LXXI.

3. Idem contra eosdem inculcat quoque terminus *Naturali-*
ter, monendo videlicet: CHRISTUM in Cœna verè ac realiter
adesse non saltem secundum Divinam: sed etiam secundum *huma-*
nam naturam, quâ naturale ipsius Corpus pro nobis in mortem tra-
ditum: naturalis item ipsius Sanguis pro nobis in Cruce effusus.

LXXII.

B 33

4. Termino

4. Termino Oraliter exprimitur Organon sive Instrumentum à CHRISTO destinatum totius Sacramenti, & sic non tam panis & Vini: quàm Corporis ac Sanguinis CHRISTI perceptioni, uno eodemq; indiviso actu peragenda.

LXXIII.

De Orali
Manducatione.

Hic verò Sacramentarij magno impetu in nostras insurgunt & tumultuantur Ecclesias, eò quòd oralem manducationem & bibitionem credunt, adeoque Corpus & Sanguinem CHRISTI, corporeo oris organo, accipi profitentur.

LXXIV.

Contrarium enim ipsi tenent & defendunt mordicus, nusquam non elatà quasi voce clamitantes: Corpus CHRISTI, non nostris corporibus adesse: sed menti saltem: non ore: sed fide illud accipi: qui fuit Bezae κωκκυσμός iterum atq; iterum ingeminatus.

In Colloq. Mompelg. f. 75, 78, 104. 172, 175.

LXXV.

Verùm enim verò ut perspicuè & distinctè mentem nostram de hac controversia explicemus: memoria repetendum, quòd tres sint manducationis species: 1. *Physica vel Naturalis.* 2. *Mystica sive Sacramentalis.* 3. *Pneumatica, sive Spiritualis.*

LXXVI.

Inter quas hoc discriminis, quòd *prima & secunda semper & tantùm in Cœna, & quidem simul: tertia verò non semper & tantùm in Cœna simul cum primâ & secunda: sed etiam extra Cœnam, fiat.*

LXXVII.

Prima competit *Pani*, qui suam, etiam post *Consecrationem*, substantiam retinet: ceditq; in nutrimentum corpori: pars verò superflua eis ἀφεδωκὴ χωρεῖ καὶ ἐκβάλλεται, sicut loquuntur *Origenes & Damascenus* verbis CHRISTI Matth. 15, 17.

LXXVIII.

Secunda competit *Corpori CHRISTI*, quod in Cœna manducatur unâ cum pane; sed diverso tamen respectu, qui diligenter observandus,

LXXIX.

Panis

Panis enim manducatur πρώτως καὶ ἀμέσως modò naturalis
Corpus autem δευτέρως & ἐμμέσως, mediante pane, modo planè
supernaturali.

LXXX.

Ore tamen corporeo, quo utrumque simul & panis & Corpus
CHRISTI accipitur, unde etiam Manducatio illa Oralis, nomina-
ri solet ac meritò etiam debet.

LXXXI.

Nihil igitur aliud est, quàm cruda & puta Calumnia; quic-
quid Beza & reliqui Gentis Sacramentariæ contribules de laniena
Cyclopica & (b) Capernaitica nostris affricant Ecclesijs.

(b) Iohan. 6. 6. 52. 59.

LXXXII.

Tertia denique Manducatio competit non Corpori CHR I-
STI separatim: sed toti CHRISTO, non tam personæ quàm officij
& beneficiorum suorum respectu.

LXXXIV.

Huius instrumentum est fides: sicut Naturalis & Sacramentalis
OS. De illa nullum: de hac maximum est inter nos & Sacramenta-
rios certamen.

LXXXV.

In quo ut stationem masculè tueamur nostram, atque adeò
feliciter potiti Victoria, cum Veritate gloriosè triumphemus: ὡς
ἐν τύπῳ utique tela præmonstrare lubet: tum Φυλακτήρια nostra:
tum ἀμυντήρια ἀντὶ τῆς partis.

LXXXVI.

Φυλακτήρια nostræ partis sunt hæc potissimum: I. Propria Φυλακτή-
& nativa Verborum: *Edite: Bibite*, significatio, quam evincit: *Εἰς nostræ*
1. ipse Verborum sonus, 2. quod illa substantialia Cœnæ, quæ ve-
rè ac propriè actio. 3. Mandati Christi executio illi ἀντίστοι-
ϕοι.

Et biberunt ex eo omnes

Marc. 6. 14. 23.

86. II. Indi-

LXXXVI.

II. Indignorum Manducatio, qui rei fieri dicuntur (c) Corporis & sanguinis CHRISTI edendo ac bibendo, Reatus verò iste Corpus & sanguinem CHRISTI non tollit: sed præsupponit.

(c) 1. Cor. 11, 27.

LXXXVII.

III. Suffragia Orthodoxæ Antiquitatis, de cujus consensu, Sacramentarij plurimum glorientur, & tantum non triumphos agunt.

Augustinus ep. 118.

Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm ceteri tibi.

Item sermo: de tempore.

Videte fratres, si justum sit, ut ex ore Christianorum ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum proferatur.

Chrysostronus homil. 29. in 2. Corinth.

Non vulgarem honorem consecutum est es nostrum, accipiens corpus dominicum.

Item Leo:

Sic sacra mensa communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ORE sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis Amen responderetur, à quibus contra id, quod dicitur, disputatur.

Gregor. homil. 22. pasch.

Quid sit sanguis Agni jam non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumq; postem ponitur, non solum ORE corporis, sed etiam ORE cordis hauritur.

LXXXVIII.

Ἀμυνθήρια adversæ partis eorumq; vitia, *Ἀμυνθήρια* adversæ partis mera sunt Sophismata, quæ facile dilui possunt; si modò præcipua eorum notentur vitia.

LXXXIX.

Quorum I. Processus à proprietate vocum Edendi & bibendi Grammatica vel sensu: ad proprietatem rerum Physicam vel modum.

X C.

2. Neglectus discriminis inter manducationem Physicam &

& immediatam panis Eucharistici: & hyperphysicam & media-
am Corporis Dominici.

XCI.

3. Vitiosa argumentatio à duplici re, terrestri videlicet & cœ-
lesti, ad duplex instrumentum *ληπτικόν*, siquidem hæc & illa, non
ut duo extra unionem: sed ut unum Sacramentale, in unione, &
propter unionem Sacramentalem, supponuntur.

XCII.

4. *Αξιωμα ανάξιον*: Objectum spirituale nequit recipi in-
strumento corporali. In promptu enim sunt instantiæ in exem-
plis, SPIRITUS SANCTI, verbi prædicati: FILII DEI in ute-
ro beatæ Virginis concepti, à Luthero & alijs illi Axiomati oppo-
sitis.

XCIII.

5. Dissimulatio discriminis inter existentiam corporis CHRI-
STI naturalem, & Sacramentalem, quæ peculiari Verbo institutio-
nis nititur.

XCIV.

6. *Απολλογισία* à promissione ad rem promissam, quarum
illam sola fide: hanc alio etiam instrumento accipi posse, do-
cent exempla, panis quotidiani, & SPIRITUS SANCTI,

XCV.

7. Et tantum etiam de termino Oraliter: V. Vocabulum *Spi-
ritualiter*, in nostris Ecclesijs, communi loquendi consuetudine,
opponitur ei, quod est Naturale & Carnale, estque idem quod
Sacramentaliter,

XCVI.

VI. Hic denique terminus *τὸ Sacramentaliter* respicit ad u-
nionem inter Panem & Corpus CHRISTI, cujus Unionis vi,
utrumque in unum Sacramentum simul unitum, simul ore ac-
cipitur: licet diverso modo. Atqui hinc terminus: *Sacramentaliter*.

XCVII.

Quia nimirum Unio ista panis & Corporis CHRISTI ap-
pellatur Sacramentalis, autore (d) Luthero, eò quod, ejus vi, Cor-
pus & sanguis CHRISTI tanquam Sacramentum nobis exhibentur,
(e) eodem interprete.

(d) II. Tom. Isleb. f. 366.

(e) in *Majore Confessione*.

©

PRO.

PROBLEMA VII.

*An manducatio Oralis & Sacramentalis
se mutuò tollant.*

XCIX.

Problema istud est proximè præcedentis quasi *ὡς* quadam.

XCIX.

Et sanè videtur prima facie illud supervacaneum, siquidem nostris Theologis, manducatio Oralis & Sacramentalis, usu communi, propè Synonyma & *ἰσοδυναμῶντα*.

Q.

Sed necessitatem nobis imponunt Sacramentalij, qui dum Oralem manducationem præcisè negant, & hostili animo impugnant: interim tamen Sacramentalem constanter asserunt summoque conatu propugnant.

CI.

Imò hanc illi opponunt planè *ἀντιφασίαν*, quasi se mutuà internecone perimant ac perdant.

CII.

Videre id licet, in *Actis Colloquij Mompelgantensis*, ubi Beza passim crepat Sacramentalem præsentiam & manducationem: Oralem verò penitus rejicit & damnat, ex falso Localitatis & absentia realis principio, f. 104, 115, 136, 137.

CIII.

Sed, quòd probè notandum: *τὸ* Sacramentale nihil ei aliud est, quàm Spirituale, ipso interprete:

Eam præsentiam ego Spiritualem intelligo, qua per fidem menti præsens est: Alteram verò constituo, qua Corpus CHRISTI nunc in Cœlis est,

fol. 115.

CIII. Qui

CIV.

Quid autem nobis Sacramentalis sic manducatio: id iuffi-
cienter explicatum dedimus in proximi Problematis διεξόδω.


CV.

È qua explicatione apparet, quòd Oralis & Sacramentalis
Manducatio a deò à se invicem non discordent, ut suavissima po-
tius *ἀρμονία*, & *συνεχία* arctissima mutuò concordent.

CVI.

Plura non capit chartæ angustia. Remittenda igitur sunt
in ipsum *συζητήσεως* Actum.

F I N I S.



CIV
Quid inquit nobis factum est? In
cetero experiamur deinde in proximi
CV
Ipsa experientia aperit, post illis & 3. c. g. n. d. s.
Mandatum dicitur sic in visum non dicitur in
tunc responsum, de cetero experiamur deinde in proximi
CVI
Plus non capit obire angustia, Responsum dicitur sic
in ipsa experientia.

F I N I S




AB: 195067

ULB Halle

3

003 019 209




56.





GEHART WOLFFEN
HCALEVEYANTISSON



te

CHRISTI JUVANTE GRATIA,
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESER^{UM} LUTHE-
ranæ parte, quæ est
DE SACRAMENTO
COENAE,
DECADIS SECUNDE:
Problemata. V. VI. VII.
In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,
AUTORE AC PRÆSIDE
JOHANNÆ FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
PAULO WEISS
Regiomon. Borusso.
Ad diem 28. Decemb. horis locog² consuetis

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.